

nisi ad designandum quod Josias eadem numero fana destruxerit, quæ Salomon ædificaverat: ac consequenter dici nequit quod ista fana a Salomone destructa sint.

Obj. II. Plurimi ex Salomonis successoribus in Scriptura laudantur, tanquam sapientissimi reges, ut Asa, Josaphat, etc. Atqui tamen illi ista fana et excelsa non destruxerunt; ergo et Salomon eo non obstante potuit esse piissimus, et condignam pœnitentiam egisse; præsertim cum facilius sit plebem ad idololatriam provocare, quam revocare.

R. non esse parem Salomonis, aliorumque regum causam: nam diviso regno, et populo jam depravato, Asa, Josaphat, et alii quidam pii reges potuerunt aliquam rationabilem causam habere, ob quam ista fana non destruxerint: sed Salomon nullam ea relinquendi potuit habere justam rationem, cum maxima esset ejus potentia et auctoritas, et illius tempore non populus (ut in objectione falso supponitur), sed ipse solus, et ejus uxores idola colerent: siquidem populus tantum post mortem Salomonis ad idololatriam declinare cœpit. Etenim populus Israel, seu decem tribus, depravatus fuit per Jeroboam, ut habetur cap. seq. Populus autem Juda et Benjamin ad idololatriam seductus est per Roboam, infra cap. XIV, et lib. II Paralip., cap. XII, 1, ubi dicitur: *Cum roboratum fuisset regnum Roboam et confortatum, dereliquit legem Domini, et omnis Israel cum eo.* Id est, non tantum decem tribus, quæ ante defecerant, sed etiam tribus Juda et Benjamin cum rege suo Roboam legem Domini dereliquerunt, et ad idololatriam declinaverunt.

Obj. III. Psal. LXXXVIII, 29, de Salomone dicitur: *In æternum servabo illi misericordiam meam.* Item γ . 34: *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.* Atqui illa non stant cum æterna Salomonis damnatione; ergo, etc.

R. Neg. maj. Primus enim locus de Davide agit, et sub illius typo de Christo et Ecclesia. Secundus locus quidem de Davidis filio tractat, sed de Messia, ex Davide per D. Virginem descensuro, proprie intelligitur. Interim quatenus de Salomone etiam forsitan intelligi potest, agit de solo regno ejus terreno, promittiturque quod eo non sit privandus, sicut privatus fuerat Saül.

Clarius hoc dicitur I Paralip. XVII, 15: *Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit.* Item II Reg. VIII 15: *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saül, quem amovi a facie mea.* Id est, quem rejeci a singulari favore quo antea, dum ipsum ad regnum promovi, prosequabar. Nam sicut phrasi sacra Scripturæ usitata ponere faciem super aliquem, singularem favorem significat, sic amovere faciem ab aliquo, seu, quod idem est, amovere aliquem a facie sua, idem valet quod non favere, ut in cap. VII, lib. II Reg. observat Sanctius. Hinc in statim citata sacra Scripturæ verba subtiliter observat Estius, quod sicut ex eis evinci non potest, Saulem esse damnatum (quamvis id aliunde probetur) ita nec inde concludi possit, Salomo-

nem esse salvum, sed id aliunde probari deberet.

Quod autem jam memorata expositio sit genuina, patet ex ipsamet Scriptura (qua certe melior non potest dari sui interpres), Ecclesiastici XLVII, ubi sacer Scriba reflectens ad pramemoratam Dei promissionem, γ . 24, ita eam exponit: *Deus autem non derelinquet misericordiam suam, et non corrumpet, nec delebit opera sua, NEQUE PERDET A STIRPE NEPOTES ELECTI SUI (Davidis), et semen ejus, qui diligit Dominum, non corrumpet.* Ex quibus certo constare videtur, promissionem divinam de non auferenda misericordia a Salomone, nihil aliud denotare quam regnum temporale a nepotibus Davidis, seu a posteris Salomonis non esse penitus auferendum, sicut fuit ablatum a posteris Saül.

Obj. IV. Hoc cap. γ . 45, dicitur: *Dormivitque Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David patris sui.* Atqui hæc verba important parem cum patribus requiem, mortem, et sepulturam; ergo et salutem.

R. Neg. min. pro prima parte, et simul conseq.; nam per similia verba Scriptura indicat simpliciter mortem, vultque Spiritus sanctus hac phrasi tantummodo designare, Salomonem mortuum esse, sicut et patres ejus mortui sunt, non ponendo vim in æqualitate status, in quo mortui sunt, sed solam designando mortalitatem.

Constat hoc ex morte impiissimi regis Jeroboam, de quo etiam, infra, cap. XIV, 20, dicitur: *Et dormivit cum patribus suis.* Nec refert etiam quod sit sepultus in civitate David patris sui; quia in ea quoque sepultus legitur filius ejus Roboam, II Paralip. XII, 16: et tamen certe nemo inde probare poterit, quod Roboam sit salvus.

Obj. V. Salomon fuit *Jedidia*, id est Deo carus: item fuit typus Christi, et scriptor canonicus trium librorum sacrorum; ergo non videtur in æternum reprobatus.

R. Neg. conseq. Nam tantum fuit Deo charus in juventute sua. Unde Deus quidem ipsum tunc valde dilexit, in quantum ei tanquam filio carissimo multa bona temporalia et gratias gratis datas in præsentis vita contulit: verumtamen post lapsum ejus suscitavit ipsi hostes, uti ex hoc cap. patet, eumque deinceps usque ad vitæ finem videtur afflixisse. Sane, etsi Saül in principio regni sui morum innocentia fuerit sicut puer unius anni, et ita bonus ut non esset melior illo, ac consequenter Deo apprime carus; tamen hoc non obstante est damnatus: ergo non repugnat quominus propter fundamenta supra allegata idem dicatur de Salomone.

Fuit autem Salomon typus Christi, quia fuit rex pacificus, templum ædificavit, etc., sicut Christus pacem mundo attulit, Ecclesiam fundavit, etc. Ex quo non sequitur, quod per omnia usque in finem typus Christi permanserit.

Quod vero scriba fuerit, et amanuensis Spiritus sancti, causam ejus potius aggravat, et ingrati lapsus fœditatem exaggerat. Sane ad majorem Judæ re-

probationem plurimum conducit, quod apostolica aliquando fulserit dignitate.

Obj. VI. Deus lib. II Reg., cap. VII, 14, promiserat Davidi se Salomonem, si peccaret, arguturum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum: id est, se eum puniturum clementi, humana, et temporali pœna, sicut solent homines filios castigare. Vide quæ desuper ante jam dicta sunt. Atqui si Salomon æternam damnationem ineurrerit, non est solummodo argutus in virga virorum, et in plagis filiorum hominum, sed et in gladio severi judicis, morte acerbissima plectentis, et in plagis servorum dæmonis; ergo dici nequit quod Salomon luat pœnas æternas.

R. Neg. conseq. Quia pœnæ temporales, propter peccata inflictæ, non necessario excludunt æternas. Patet hoc in impiis Israelitis, tum sub Moyse in deserto, tum sub iudicibus, propter peccata sua temporali pœna punitis; item in iniquis regibus, et simul in populo Israel, quibus Deus hoc lib. et lib. seq. ob idololatriam minatus fuit ac inflixit pœnas temporales; et tamen certum est, quod non omnes isti propterea evaserint pœnas æternas. Itaque argumentum propositum non subsistit: quia ex antecedente affirmativo deducitur conclusio negativa.

Nec refert, quod ista, uti et multa alia verba præcitato capite lib. II Reg. sint dicta ad solatium Davidis; quia Davidem ista non ita intellexisse, quasi certus foret de salute Salomonis, liquet ex I Paralip. XXVIII, ubi de salute ejus admodum anxius, ipsum ita alloquitur γ . 9: *Tu autem, Salomon fili mi, scito Deum patris tui, et servo ei corde perfecto, et animo voluntario... si quaesieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, PROJICIET TE IN ÆTERNUM.* Ex quibus verbis manifestum videtur, Deum tantum promisisse Davidi se Salomonem, si peccaret, arguturum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum, sed etiam per ipsum Davidem Salomoni minatum fuisse virgam reprobatoriam, id est, se eum arguturum in plagis servorum dæmonis, seu puniturum pœna æterna.

Illud igitur cap. VII lib. II. Reg. unice ad solatium Davidis dixit Deus, quod Salomonem, si peccaret, esset quidem puniturus, sed tamen misericordiam Davidi promissam, de perpetuando in ejus stirpe regno, non esset ablaturus, sed econtra effecturus ut ejus posterii perpetua successione regnarent in tribu Juda: idque non solum, et mere propter regnum temporale (quod David non adeo curabat), sed præcipue propter Christum, ex regia Davidis stirpe nasciturum, in quo regnum Davidis perpetuaretur in omnem æternitatem.

Obj. VII. Proverb. XX, 9, ubi nostra Vulgata habet: *Quod cum vidissem posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam, versio LXX Interpretum habet: Novissime ego quoque egi pœnitentiam, respicique ut eligerem disciplinam.* Ergo Salomon, utpote auctor istius libri, vere pœnituit. Ante responsonem

Nota, de authenticitate istius textus magnam posse moveri dubium; partim, quia in aliis versionibus nihil simile habetur; et partim, quia S. Aug. supra

citatus (qui tamen versione LXX Interpretum utebatur) aperte dicit, Scripturam nihil de pœnitentia Salomonis, vel indulgentia Dei omnino commemorare. Interim gratis dato, quod textus sit authenticus,

R. verba illa non esse intelligenda de pœnitentia ob simulacrorum cultum, sed de pœnitentia ob negligentiam colendi animum, vel regnum, aut propter aliquid simile, antequam simulacra inania venerarentur: imo de pœnitentia cujuscumque hominis, cujus Salomon eo loco personam sustinet, intelligi potest.

Porro hæc solutio videtur erui ex ipso textu, si attente legatur a versu 30 usque ad 33. Horum enim versuum non alius apparet sensus, quam hic: Ego videns damna pigri, et pigritiæ in inculto agro, ac vinea, reflectens et ascendens ad animam meam, in virtutibus tepidam et torpidam, cum Deus illam mihi dederit ut strenue velut agrum Dei eam excolerem, cœpi pœnitere et compungi, ac destinavi animo eligere disciplinam, puta diligens studium, et exercitationem virtutum. Verum quid obstat, quominus Salomon etiam similem pœnitentiam egerit ante scandalosum suum lapsum. Quandoquidem quotidiana experientia declarat, homines etiam pie viventes subinde esse tepidos et negligentes in exercitatione virtutum.

Iust. Eodem lib., cap. XXX, 2, Salomon de se ipso dicit: *Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum.* Atqui ante lapsum hoc dicere non potuit, cum plane nosceret, se præ omnibus hominibus sapientia, et prophético spiritu a Deo esse ornatum; ergo, etc.

R. Neg. min. Nam per illa verba significat Salomon, inquit S. Gregor. Nazianzenus, Orat. 29, post initium, nullam se propriam habere prudentiam, sed divina et perfectiori sapientia afflari. Siquidem et Paulus, cum aiebat Galat. II: *Vivo autem, non ego, vivit vero in me Christus;* non utique de se ipso quasi mortuo loquebatur, sed tanquam de eo qui præstantiorem quam vulgus mortuum soleat, vitam ageret; utpote qui veræ vitæ, nulloque mortis sine circumscripæ particeps esset, Sensus ergo est: Si sapientiam humanam, quam proprio studio didici, comparem cum sapientia divina, sive quam a Deo accepi, potius stupidus et stolidus quam sapiens sum. Et ideo subdit: *Sapientia hominum non est mecum.*

Obj. VIII. Salomon est indubitus auctor libri Ecclesiastes. Atqui ex variis locis istius libri patet, quod egerit pœnitentiam; ergo, etc.

Prob. min. 1. Quia cap. II, 9, dicit: *Sapientia quoque perseveravit mecum.*

2. Quia ibidem, γ . 18, ait: *Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi habiturus hæredem post me.*

3. Cap. VII, 27, asserit: *Inveni amariorem morte mulierem, etc.*

4. Denique per totum librum assidue exclamat: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas!*

Neque dicendum videtur, librum istum a Salomone scriptum esse ante lapsum: nam cap. II, 10, ita scribit: *Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non*

negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate fruereur, et oblectaret se in iis quæ præparaveram: et hanc ratus sum partem meam, si uter laborer meo.

Item cap. VII, 16, scribit: *Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Justus perit in justitia sua, et impius multo vixit tempore in malitia sua.*

R. Neg. min. et suppositum, scilicet quod librum hunc Salomon scripserit post lapsum suum:

1. Quia nullam in eo de lapsu suo facit mentionem, sed potius asserit contrarium, dicens: *Sapientia quæ perseveravit mecum: id est, sincerum de rebus agendis iudicium practicum, ac cum recta voluntatis electione conjunctum, mecum perseverat.* Unde chaldaeus, teste A Lapide, vertit: *Sapientia auxiliata est mihi.* Hinc et cap. I, 12, ait: *Proposui in animo meo quærere, et investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole.* Ergo dum hæc scribebat, necdum in stultitiam prolapsus erat: quod difficilius intelligitur in sententia contraria; adeoque primus locus potius favet.

Secundo loco tantum detestatur laborem quem adhibuit ut divitias post se relinqueret hæredi, quem ignorabat qualis esset futurus, nec de idololatria vel ullam mentionem facit.

3. Mulierem merite amariorum esse, etc., invenire potuit ante lapsum, cum viri etiam sanctissimi noverint, quod inter omnia prælia christianorum duriora sint prælia castitatis, in quibus agones sustinent omni morte amariores. Item castissimi apprimè noverunt, quod mulier luxuriosa sit laqueus venatorum, et sagena cor ejus, vincula sint manus illius. Ergo inde nihil concludi posse videtur pro pœnitentia Salomonis.

4. Dum exclamat: *Vanitas vanitatum!* vanitatem illam sitam asserit in opibus, deliciis, honoribus, cantibus, populis, etc., nec usquam de idolorum cultu vel verbum habet: quod tamen certo facere debuisset, si vere post lapsum pœnituisset. Item dum cap. II, 7, dicit, se habuisse familiam multam, eam tantum dicit sitam fuisse in servis ac ancillis; de mulieribus vero alienigenis, seu de mille uxoribus nihil omnino commemorat: quod tamen rursus certo fecisset, si hunc librum post lapsum scripsisset.

5. Ad capitulum II versum 10 dico, Salomonem de se loqui eo tempore, quo voluptatibus quidem indulgebat, sed moderate, et honesto fine; scilicet ut indagaret, et experiretur quid in singulis esset boni, et num aliqua re animus hominis satiari, et in illa conquiescere posset. Agit ergo ibidem de desiderio oculorum, et de cordis voluptate intra terminos licitos, quanquam experientia eorum fuerit ipsi causa excessus, et ruinæ.

6. Denique dies vanitatis possunt illud tempus designare quo Salomon, cum sæcularium rerum concupiscentia tenebatur, quærebat opes, honores, delicias, et oblectationes huius mundi: hæc enim vanitati, et inanitati obnoxie sunt. Ergo inde rursus probari nequit, quod liber Ecclesiastæ sit scriptus post ejus lapsum.

Inst. S. Chrysost. Serm. contra concubinarum circa finem dicit quod Salomon multum laboris et sollicitudinis insumperit, magnificas ædificando domos, copiosum coacervando aurum, congregando cantorum choros, varia genera ministrorum mensæ et popinæ, quærendo animæ suæ voluptatem ab honorum, et corporum formosorum gratia, et omnem, ut ita dicam, oblectationis et refrigerii viam sectando. At ubi inde ad se reversus, et quasi ex umbrosa quadam abyssu ad lumen veræ sapientiæ respicere valuit, tunc sublimem illam, et cælis dignam emisit vocem: *« Vanitas vanitatum, »* dicens, *« et omnia vanitas ... »* Ergo S. Chrysost. censet, quod Salomon librum Ecclesiastæ scripserit post lapsum suum.

R. Neg. conseq. Nam, ut ex verbis objectis manifestum est, S. Chrysost. tantum docet, quod Salomon istum librum scripserit post illud vitæ suæ tempus, quo magnificas ædificaverat domos, multas opes coacervaverat, cantorum choros congregaverat, deliciarum et oblectationis viam sectatus fuerat, etc. Ex quo minime sequitur, quod illum scripserit postquam illicitis et fetidis voluptatibus immersus fuerat. Quinimo id citato Serm. aperte videtur negare Chrysost. dum parum infra ita pergit: *Quamvis autem a Salomone seculis superioribus non tam multa sapientiæ exigebatur diligentia: neque enim delicias lex vetus prohibebat, neque aliis frui supervacuis dicebat vanum: attamen et sic se habentibus rebus, in ipsis contueri licebit, quam viles, et vanitati obnoxie res sint.*

Ex quibus, ut ex superioribus S. Chrysost. verbis confirmantur ea quæ supra dicta sunt, scilicet quod Salomon vanitatem suam sitam esse dixerit in opibus, cantibus, honoribus, in formosis hominibus, seu populis, etc. Item quod libro Ecclesiastæ, cap. II, 10, loquatur de deliciis et voluptatibus intra terminos licitos, sive de illis quas lex vetus non prohibebat: ac denique quod per dies vanitatis intelligat illud tempus, quo oblectationibus aliisque similibus mundanis rebus animum suum recreabat. Ac proinde ex omnibus supra allegatis nequaquam probatur quod Salomon de scandaloso suo lapsu veram egerit pœnitentiam.

Obj. IX. Ad aliqualem saltem laudem Judæorum lib. II Paralip., cap. XI, 17, dicitur: *Confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos: ambulaverunt enim in viis David et Salomonis annis tantum tribus.* Atqui ad laudem Judæorum id dici non posset, si Salomon peccatis suis immortalus foret: nam in hoc supposito non annis tantum tribus; sed et pluribus annis in viis Salomonis bonis et malis ambulasset; ergo, etc.

R. Neg. min. Nam de impiissimo Amon, filio Manassis, quidem dicitur IV Reg. XXI, 21: *Ambulavit in omni via per quam ambulaverat pater ejus: servitque immunditiis quibus servierat pater ejus, etc.* Si ergo ad vituperium Amonis dicatur quod ambulaverit in omni via (mala videlicet) per quam ambulaverat Manasses, licet hic in senectute fecerit bonum, et conversus sit; quare ad laudem Judæorum quoque

dici non potuit, quod per tres annos ambulaverint in viis (bonis videlicet) Salomonis, quamvis hic in senectute fecerit malum et impenitens mortuus sit?

Confirmatur ulterius responsio data ex lib. II Paralip., cap. XXVI, 4, ubi ad laudem Oziae dicitur: *Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Amasias pater ejus.* Atqui tamen et omnia ibidem tantum designat omnia opera bona, quæ fecit Amasias in initio regni sui: siquidem hic in fine gravissime peccavit; et quod peccatis suis immortalus sit, ex cap. XXV citati libri Paralip. satis verisimile apparet. Ergo etiam, dum ad laudem Judæorum dicitur quod ambulaverint in viis Salomonis, id tantum intelligitur de viis primis, non vero de ultimis. Ac proinde sicuti ex textu mox citato non probatur Amasiam esse salvum; ita nec ex altero evincitur Salomonem esse salvum.

Obj. X. In Lib. Gen. Moyses refert lapsum protoparentum, et ne vel verbum habet de eorum pœnitentia. Item lib. II Reg., cap. XI, 4 refertur peccatum Bethsabæ, et nullibi quidquam dicitur de ejus pœnitentia. Atqui tamen inde male quis deduceret omnes istos esse damnatos; ergo similiter male deducitur Salomonem esse damnatum ex eo quod Scriptura, recensito ipsius lapsu, altissime taceat ejus pœnitentiam.

R. Neg. conseq. Disparitas est, imprimis quantum ad Adamum, quod hujus pœnitentiam Spiritus sanctus alibi commemoret (nimirum lib. Sapient. cap. X), uti et sancti patres; quod de Salomone nullibi in Scripturis fieri, asserit S. Aug. ut ante vidimus. De Evæ vero pœnitentia, etsi hæc in Scriptura non sit descripta, constat ex continua traditione Ecclesiæ; quæ omnes doctores eam pœnituisse communiter asserunt, sed nulla existit talis traditio de pœnitentia Salomonis.

Præterea, quamvis in lib. Gen. expressis verbis non describitur pœnitentia Adami et Evæ, tamen ex decursu istius libri satis evidens est quod pœnitentiam egerint: siquidem ex historia Genesios manifeste deducitur, quod filios suos in cultu et timore Dei educaverint, modum sacrificandi aliosque ritus colendi Deum eis tradiderint; ergo inde satis clare patet, quod ipsi similiter post lapsum suum Deum, ut decet, coluerint, etc., ac consequenter pœnitentiam egerint. Unde si ex Scriptura æque manifestum foret, quod Salomon post turpissimum lapsum suum, rursus Deum, ut decet, coluisset; etiam tunc diceremus ipsum pœnituisse, quamvis ejus pœnitentia claris verbis in Scriptura non esset expressa.

Denique ad id quod de Bethsabæ obiectum est, et similia alia exempla quæ aliunde objici possent, dico quod, cum ejus peccatum tantum transiens fuerit, et ipsa in vera religione et fide perseveraverit, etiam pie credendum sit ipsam pœnituisse. Verum peccata ejus filii Salomonis non transeuntia, sed permanentia fuerunt; ut satis clare videtur insinuare Ecclesiasticus, cap. LVII: siquidem ibidem primo refert ejus virtutes, et deinde subjungit turpissimum

S. S. XXVI.

lapsum, et in eo finem facit. Hinc S. P. Aug. opponens lapsum Davidis lapsui Salomonis, lib. III de Doct. Christ., cap. XXI rursus ita scribit: *Quia in isto viro [Davide] immoderate libidinis non permansio, sed transitus fuit; propterea etiam ab arguente propheta ille illicitus appetitus « hospes » vocatus est. ... At in Salomone non quasi hospes transitum habuit, sed « regnum libido possedit. »*

Obj. XI. Lib. II Paralip. cap. IX, 29 dicitur: *Reliquæ autem operum Salomonis priorum et novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan prophetæ, et in libris Ahie Silonitis, in visione quoque Ado Videntis, contra Jeroboam filium Nabat.* Atqui si illi libri adhuc extarent, forte ejus pœnitentiam nobis certam facerent; præsertim liber Ado prophetæ: nam non videtur ipse potuisse efficaciter arguere, et ad pœnitentiam revocare Jeroboam, regem idololatram, ex gestis Salomonis, nisi ostenderet ipsum pœnitentiam egisse; et tamen, ea non obstante, perdidisse in filio decem tribus regni sui: vel potius, non videtur potuisse scribere gesta Salomonis contra gesta Jeroboami, nisi illius pœnitentiam opponendo hujus pertinaciæ; ergo, etc.

R. Licet ex textu objecto erui videatur, quod Ado usus sit gestis Salomonis, ut ex eis argueret Jeroboamum, et eum forte etiam ex iisdem ad pœnitentiam revocaret, tamen inde non sequitur, quod Salomon pœnitentiam egerit: nam non obstante ipsius impœnitentia, potuit nihilominus Ado ex ejus gestis Jeroboamum arguere, et ut ab incepto malo desisteret hortari; idque duplici modo: 1. proponendo ipsi, quod, etsi Salomon idola ritu externo coluerit, tamen populum non seduxerit, nec etiam impediverit quominus in templo hierosolymitano sua sacrificia offerret, etc., quæ tamen omnia faciebat Jeroboam. 2. Proponere poterat Jeroboam, quomodo Salomon, qui non tam graviter deliquerat, quam ipse de facto delinquebat, non tantum pœnis temporalibus, sed etiam æternis a Deo punitus sit: ut sic terreretur et ad pœnitentiam revocaretur Jeroboam: siquidem aptissimum et optimum magnum et perversos peccatores ad pœnitentiam revocandi medium est, eis proponere pœnas aliis etiam non adeo graviter delinquentibus, ac ipsi de facto delinquant, quondam a Deo inflictas. Ac proinde ex præcitato textu lib. II Paralip. conijcere non possumus, quod forte Salomonis pœnitentia fuerit descripta in libro Ado Videntis.

Obj. XII. S. Thom. docet Salomonem esse salvum; nam de Regimine Principum lib. III, opusc. 20, cap. 8, de Salomone ita scribit: *Tradunt Hebræi, ut Hieron. refert in commento super Ecclesiastæ, quod in fine vitæ suæ, ex multis vexatus suum recognovit errorem, sequè disposuit ad pœnitentiam in commissis, librumque præfatum composuit, in quo sicut expertus, cuncta desinit vanitati subjacere: subjiciens se divinis timoribus ad suorum observantiam mandatorum.*

R. opusculum istud non esse S. Thomæ, sed alterius auctoris, ut bene probat Bellarminus, lib. de

(Trente.)

Scriptoribus ecclesiasticis, observ. 2 in opera S. Thomæ. Et quamvis S. Thomæ foret, equidem inde nihil sequeretur: quia non dicit Salomonem esse salvum, sed tantum ait quod Hebræi tradant ipsum esse salvum. Jam vero traditiones hebraicæ, quamvis multa vera contineant, tamen etiam plurimas complectuntur nugas ac fabulas. Et quidem quod circa penitentiam Salomonis nugas et fabulas complectantur, satis demonstrant illa, quæ habet Abulensis Q. 15 in cap. VII lib. II Regum, ubi ex S. Ambrosio refert sequentia: *Hebræi aiunt Salomonem venisse in templum, quod ipse ædificaverat, cum quinque virgis, quarum quatuor tradidit peritis legis, ut verberaretur ab illis pro penitentia; qui communi consilio defuerunt non esse mittendam manum in Christum Domini, quia David dixerat: Nolite tangere Christos meos. A se ipso autem depositus est, et retinuit solam tribum Ephraim, et bipartitum fecit imperium.*

Quod Salomon se ipsum deposuerit a regno, etc., nedum fabulosum, sed apertissime falsum est, cum ex Scriptura tum hic cap. seq., tum lib. II Paralip. cap. X clarissime constet de contrario. Merito proinde traditiones hebraicæ circa hanc materiam rejiciuntur, tanquam nugatoria et fabulosa.

Si denique opponatur auctoritas patrum § 1 citatorum, qui aperte videntur asserere, Salomonem penitentiam egisse, eis opponi potest auctoritas patrum § 2 citatorum, qui non minus aperte asserunt ipsum peccatis suis immortuum esse: nam dum SS. patres in aliqua quæstione inter se non conveniunt, impossibile est omnibus adhærere.

Cap. XII narratur quomodo Roboam, qui Salomoni in regno succedebat, duriora responsa dederit populo qui eidem exacerbat, quoad decem tribus se ab illo separat, regemque creat Jeroboam; qui vitulos aureos erigit, et populum ad idololatriam declinare facit. Circa hæc quidem hic inquiri posset, an decem tribus licite excusserint jugum Roboam, et regem sibi constituerint Jeroboam? Sed nos hanc quæstionem potius omittendam, quam multis discutendam arbitramur.

CAPUT XIII.

Mittitur a Deo propheta, qui Jeroboamo incensum idolo offerenti prædicit, super altare illud sacrilegum sacerdotis excelsorum immolandos. At contra præceptum Domini apud Bethelitas cibum sumens, mox a leone occiditur.

QUESTIO UNICA. — QUALIS PROPHETA FUERIT VIR DEI, QUI HIC REDARGUIT JEROBOAMUM.

Verſ. 1 : *Et ecce vir Dei* : Id est, propheta missus a Deo (ad nascentem Jeroboami idololatriam redarguendam) venit de Juda in sermone Domini : Id est, instinctu Domini, ut exponunt Tirinus et A Lapide; sive habens sibi commissum sermonem impio regi denuntiandum, ut dicit Dionys. Carthusianus.

ſ. 2 : *Et exclamavit contra altare.... Ecce filius*

nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet. Cum in regno Juda a Roboam usque ad Josiam, qui hic prædicitur sacerdotes illos immolaturus, intercesserint tredecim reges, recte observat Abulensis sensum prophetiæ non esse, quod aliqui de sacerdotibus, qui tunc erant, quando vir Dei locutus ista, macerandi essent a Josia super illud altare: sed sensus est, quod Josias esset occisurus sacerdotes excelsorum, qui ejus tempore offerrent incensum; aliorum autem ossa exhumeret et concremaret in detestationem idolorum. Quod ergo dicitur: *Qui nunc in te thura succendunt*, id hoc sensu intelligitur, quod Josias ejusdem generis sacrificulos, non illos ipsos, qui tempore hujus vaticinii vivebant, sed iis impietate pares esset occisurus. Impleta autem est hæc prophetia per Josiam lib. IV Reg. cap. XXIII, 16. Porro de præfato viro Dei hic queri potest, an ipse fuerit propheta diversus a tribus istis famosissimis prophetis, scilicet Semeia, Ahia Silonite et Addone. Ad quod quesitum

R. affirmative. Et ratio est, quod vir ille Dei primo anno regni Jeroboami venerit ad ipsum, dum eodem anno jam fabricaverat vitulos, ut ne semel quidem statutis temporibus Israelitæ ascenderent in Jerusalem. Et quidem prima die, qua consecratum est altare in Bethel, ad Jeroboamum missus est; atque statim post visionem suam, et prophetiam contra Jeroboam (quia contra mandatum Dei panem in Bethel manducaverat) a leone occisus est, ut patet ex ſ. 24. Jam vero Semeias ad minimum vixit usque ad annum 18 regni Jeroboam; ergo non fuit idem cum illo viro Dei.

Subsumptum hoc patet ex Scriptura II Paralip. XII, 15, ubi dicitur: *Opera vero Roboam prima et novissima, scripta sunt in libris Semeia prophetae, et Addo Videntis.* Porro, ut patet ibidem ſ. 15, *Roboam... decem et septem annis regnavit in Jerusalem.* Ergo Semeias ad minimum, ut novissima Roboami opera describeret, pertigisse debuit ad annum 18 regni Jeroboam: nam hic eodem anno cæpit regnare super decem tribus, quo super Judam et Benjamin regnavit Roboam. Deinde cum Addo non tantum opera Roboami, sed etiam Abiæ filii ejus gesta descripsisse referatur II Paralip. XIII, 22: multo minus Addo potuit esse idem ille, de quo hoc cap. agitur; quippe qui initio regni Roboam occisus sit.

Denique quod etiam Abias Silonites non fuerit ille vir Dei, inde patet, quod post mortem istius viri Dei, infra cap. XIV, Jeroboam miserit uxorem suam ad Ahiam Silonitem, ut eum consuleret super filii sui infirmitate.

Obj. I. Tempore Roboam, et Jeroboam in Scriptura tantum fit mentio trium prophetarum, scilicet Abiæ, Semeia, et Addonis; ergo vir ille Dei fuit unus e tribus istis prophetis.

R. Disting. ant. Tantum fit mentio istorum præ-

phetarum, expressis nominibus; concedo: sub generali nomine prophetæ; nego antecedens.

Patet hoc ex ſ. 11, ubi dicitur: *Propheta quidam senex habitabat in Bethel*; ad quem ſ. 20 factus est sermo Domini, quique ipsi inobedienti viro Dei dixit ſ. 22: *Non inferet cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum*: quod revera contigisse patet ex ſ. 29 et 30.

Deinde ſ. 32, prophetes ille senex confirmat sermonem Domini virtutum, quem prædixerat vir ille Dei contra altare quod erat in Bethel; ergo saltem plures, quam tres, sub generali nomine extiterunt prophetæ tempore Roboami, et Jeroboami.

Inst. Prophetes ille senex, teste Emmanuele Sa, fuit falsus propheta. Unde et paraphrastes chaldæus dicit, quod fuerit *propheta mendax*. Addunt alii, hac sola causa prophetam hunc desiderasse istius viri Dei præsentiam in mensa sua, ut is factus inobediens a Deo puniretur, in ejus punitione ipsius auctoritatem deprimeret, Jeroboamque dubitantem, et de destruendis vitulis cogitantem, in impia sua sententia seu idololatria confirmaret; ergo ex isto pseudo-propheta non probatur plures tunc fuisse prophetas.

R. Neg. conseq. Quia dici potuit *propheta falsus, mendax, etc.* cum revera dicens ſ. 18 *Angelus locutus est mihi, etc.* mentitus sit; vel perniciose (si per punitionem viri Dei intenderit confirmare Jeroboami impietatem), vel saltem officiose, si hoc fecerit ad sibi procurandum meritum hospitalitatis, ut voluit Theodoretus, Procopius, et alii. Ex quo tantum sequitur, quod dono prophetiæ fuerit abusus, licet revera prophetaverit ſ. 22 et 32.

Obj. II. Addo prophetavit contra Jeroboam, ut liquet ex II Paralip., IX, 29, ubi dicitur, quod reliqua operum Salomonis scripta sint in visione Addo Videntis, contra Jeroboam filium Nabat. Ergo Addo fuit ille vir Dei, qui hic prophetaverit contra Jeroboam.

R. Neg. conseq. Quia loco citato 2 Paralip. non dicitur Addo prophetasse contra Jeroboam in Bethel. Atqui tamen hoc dicitur hic ſ. 1 de viro Dei; ergo licet Addo contra Jeroboam prophetasse dicatur; non sequitur quod fuerit idem cum illo viro Dei, qui contra eum prophetavit in Bethel.

P. an vir Dei graviter, an vero tantum leviter peccaverit dum ſ. 18 et 19 permisit se a propheta sene decipi, et in ejus domo contra præceptum Dei panem manducavit.

R. eum verisimilius tantum leviter peccasse: nam male egit quidem, quia nimis facile et temere credidit alteri prophetae mentienti; debuisset enim magis spiritum ejus, et oraculum suum, verbis ipsius contrarium, examinare ac cogitare, quod si Deus, qui expresse ei mandaverat nec comedere in Bethel, vellet præceptum suum revocatum, id sibi immediate revelaturus fuisset. A peccato tamen gravi excusari potest, quia prophetam senem credidit esse veracem. Unde S. P. Aug. lib. de Cura pro mortuis cap. 7 ita scribit: *Voluit Dominus servum suum ita plectere, quia non sua contumacia spreverat præceptum*

ejus implere, sed aliena decipiente fallacia, obedire se credidit, quando non obedivit: neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiarum, ut ad supplicium tartareum ejus anima raperetur; quandoquidem ipsum ejus corpus idem leo, qui occiderat, custodiret: jumento etiam, quo vehebatur, illæso, et simul cum illa immani fera, intrepida præsentia ad sui Domini funus adstante. Quo miraculi signo apparet hominem Dei coercitum potius temporaliter usque ad mortem, quam punitum esse post mortem.

Similia etiam habet S. Gregor. lib. IV Dialog. cap. 24. Ex quibus communiter deducunt auctores, hunc virum Dei venialiter tantum peccasse; et ob hoc peccatum veniale a Deo, qui est summus vitæ et necis omnium Dominus, temporali morte punitum. Unde et ipse errore suo cognito, prædictam sibi et a Deo immissam mortem patienter excepit.

Cap. XIV. Uxor Jeroboam, mutato habitu, consulit Ahiam prophetam de filii sui ægroti sanitate, qui mortem illius prædicit, totiusque familiæ Jeroboami interitum. Sesac rex Ægypti invadit Roboam, et diripit domum Domini in Jerusalem. De hac autem invasione agemus lib. II Paralip.

CAP. XV, XVI.

Abia regnat super Judam. Minatur Deus excidium Baasæ regi Israel. Seipsum cum palatio regio succendit impius Zambri.

QUÆDAM RESOLVUNTUR. — Cap. XV, 1: *Igitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat regnavit* (id est incepit regnare) *Abiam super Judam, succedens in throno Roboami patris sui.*

ſ. 2: *Tribus annis regnavit*; non omnino integris, sed incompletis. Patet hoc: quia ſ. 9 dicitur quod Abiæ successerit Asa anno vigesimo regni Jeroboam; ergo non tribus annis completis, sed duobus regnavit: nam ab anno decimo octavo usque ad vigesimum sunt tantum duo anni. Ut ergo tres anni inveniantur, numerari debet annus decimus octavus, et ille fuit primus annus regni Abiæ, secundus fuit decimus nonus, et tertius fuit vigesimus regni Jeroboam. Sic exponunt Abulensis, Cajetanus, et alii. Scripturis enim familiare est synecdochice partem pro toto computare. Sic Christus dicitur tribus diebus fuisse in sepulcro, quia fuit per partem diei primæ et tertiæ, die autem secunda integra. Dicit etiam posset, quod Abia inceperit regnare anno decimo octavo regni Jeroboam incipiente, et vigesimo ad finem vergente mortuus sit: et in hoc supposito fere tribus annis integris regnavit.

ſ. 3: *Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui* (Roboami) *quæ fecerat ante eum, nec erat cor ejus perfectum coram Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus*: id est, proavi ejus, more enim Scripturæ etiam progenitores mediati patres dicuntur.

ſ. 4: *Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam* (id est filium successorem) *in Jerusalem.* Hoc Deus fecit, non mere propter promissionem Davidi factam, sicut exponunt Calvinistæ; sed propter